

IULIUS FEMINAM FORMOSAM IN FORO TUSCULANO ASPICIT

Iulius et femina sua Aemilia in foro Tusculano adsunt cum multis aliis feminis virisque. Aemilia rosas quae a parva puella venduntur aspicit; Iulius autem non rosas ut femina sua, sed alias feminas formosas ambulare in foro spectat sine ullo timore, dum Aemilia eum videt. « Nonne aliae pulchrae feminae hic ambulant, Iuli? » Aemilia magna voce Iulium interrogat, quod multum irata est. Iulius: « Non multae aliae, sed una modo... arbor in illa via est! » Aemilia viam quam Iulius ei monstrat aspicit, sed nullam arborem illic esse videt oculis suis. Itaque virum suum rursus interrogat: « Ubi est arbor quae te delectat? Num arbores venduntur in tabernis quae in hoc foro sunt? Duc me ad has tabernas! Femina tua videre pulchras arbores vult, quod hortus eius sine ulla arbore est! »

Iulius, cuius oculi aspiciunt unam et unam feminam tantum, Aemiliae nulla verba respondet, dum ea caput suum digito tangit. « In viis Tusculanis reperiri non possunt tabernae in quibus arbores parvo pretio venduntur. O Aemilia! Quam pulchrae sunt aves in caelo! Aves volare supra terram possunt, homines autem ambulare tantum possunt et... » Aemilia: « Etiam arbores ambulare possunt, quia nulla taberna in qua arbores venduntur videri ab hominibus potest. Num arbores aut tabernae currere possunt? » Iulius: « Arbores atque tabernae currere non possunt, Aemilia mea, sed vir tuus feminae suae osculum dare potest! » Dum Iulius ei osculum dat, femina formosa a qua Iulius delectatur ad eum adit. Iulius: « Ecce arbor mea! Ad me curre, mea pulchra! »

Quod Iulius dicere audet ab Aemilia irata auditur: ea enim non solum Iulii verba audit, sed etiam feminam ipsam videt! Itaque Aemilia dicit: « Quid? Quae est arbor tua, Iuli? » Iulius: « Tu es arbor mea, Aemilia! Mea et mea tantum! Nullae aliae arbores sunt in hoc foro, quod femina mea eas occultat. »

Alice Legnani